

AUCUPIUM

CARMEN

AUTHORE CAROLO

FONTON,


RHETORICES ALUMNO,

IN REGIO

LUDOVICI MAGNI COLLEGIO

SOCIETATIS JESU.





PARISIIS,

Ex Typographiâ THIBOUST, REGIS Typographi, in Plateâ Cameracensi.


M. DCCXLIII.

CUM PERMISSU.



19

35



ILLUSTRISSIMO VIRO

D. D. JOANNI-FREDERICO

DE PHELYPEAUX,

COMITI DE MAUREPAS,

REGI A SECRETIORIBUS

CONSILIIS, MANDATIS ET EPISTOLIS

REGNI ET REI MARITIMÆ ADMINISTRO,

REGIORUM ORDINUM COMMENDATORI.



CEANI famulum cui Rex dedit ipse Tridentem
Ferre manu, & variis imperitare Fretis.
Commoda qui Regni, atque arcana Negotia tractas:
Nobilis ingenio, Consiliisque potens.
Sat rebus, vir summe, datum: jam desine tandem,
Desine continuos invigilare dies.
Fessa jacet mens quam nimii fregere labores,
Seria ni levibus sint recreata jocis.


Ne tua, ne timeas in Publica Commoda peccent
Otia: quippe animos mens capit inde novos.
Quod certè nescis, ne dedignere doceri;
Scilicet hîc mecum disce parare dolos.
Quid refugis? ..video...fraudis te nomina terrent;
Parce metu: solas fraus ea fallit aves.
Forte magis placeat, si Principe digna locutus,
Fulmineâ doceam sternere glande feras;
Aut ut celsa petens, pugno se solvit herili
Unguibus ut prædam Regia figat Avis.
Dulcia sed riguo dum duces otia rure,
Dumque aurâ cupies liberiore frui:
Forsitan & volucres visco captare juvabit:
Non fugit exiles mens bene nata jocos.
Quamquam parva cano, tenuis non gloria vatem,
Carmina nostra tibi si placuêre, manet.
Ni placeant, saltem sit laus voluisse placere:
Hæc tantum accipias, id mihi munus erit.
Non fuit hæc mea mens incertos quærere plausus;
Me laus si qua movet, quam dabis, illa movet.





AUCUPIUM

CARMEN.



RMA canant, alii Pacis quos blanda fatigant
Otia, vel laudis quicumque incensus amore,
Ambiat effuso venales sanguine Lauros.
Bellum grande onus, & nostris imbellibus impar
Argumentum humeris; juvenes juvenilia tractent.
Hinc procul insidiæ belli: nos dicere Bella
Aucupii aggredimur; sunt hæc certamina ludi.
Pandite, Pierides, docti Penetralia Pindi;
Pandite, felices vestro sit Numine tractus
Visere, & Aonio potare ex Fonte liquores.
Aucupium volucres quo pacto glutine fallat
Dicite nunc, variosque dolos quibus impius Auceps
Innocuam gestit, crudelis, perdere gentem;
Seu Pedicis vincire pedes, seu prendere tentet
Reticulo volucrem, laqueo seu stringere malit.

Primùm ſcire decet quo tempore Bella parare
Sylvarum hoſpitibus liceat, quo Bella vetentur.
Ergo ſignorum poſitus, variaſque figuras
Aſpice; non omni fas eſt ſub ſydere triſtes
Moliri inſidias avibus : ſi fallere viſco
Quæris aves, Meſſor cùm falcem immiſit ariſtis,
Tempore quo tellurem imam calor igneus urit,
Ne facias, tibi namque cadet fraus irrita : multos,
Dum gravis incumbit campis ſitientibus æſtas,
Hoc tentaſſe ferunt, ſed ſpes deluſit hiantes.
Se ſolvêre dolis, viſcum fugêre volucres.
Quin etiam pecces in publica commoda, terram
Tunc inſana coquit, ſiccaſque Canicula meſſes;
Undique ſulphureos Tellus vomit uſta vapores,
Nullaque præter aves delectat rura voluptas.
Unica quæ miſeris ſuperant ſolatia terris
Tollere grande nefas : ne te trahat iſta cupido.
Aſt ubi jam coquitur Septembri ſole racemus,
Purpureiſque rubet ſaturata coloribus uva;
Frigora dum æſtatem, dum frigora temperat æſtas,
Utere tunc viſco : at (curam hanc decet eſſe priorem)
Collige aves caveis, ſocias quæ voce canorâ
Invitare queant, Sirenum more, volantes.
Atque equidem fateor, niſi me via cœpta vocaret,
Forſitan & caveis canerem quæ cura fovendi,
Quoque modo teneantur aves, quo vimine Spinus
Gaudeat, & teneram quis victus Achantida paſcat,

uali ad cantum fingenda ſit arte, docerem.
Nam Byſantinis memini ſub mœnibus olim
lævum vidiſſe ſenem, quem plurimus uſus
rſos avium docuit cognoſcere mores.
pè ſuæ volucres labor unicus, unica cura,
iæ Domini, & ſolatia blanda ſenectæ.
, ubi Puniceos Aurora retexerat ortus,
thoro ſurgens aviaria lætus obibat,
undiſque putres expurgans ſordibus ædes,
ea frigidulis renovabat vaſcula lymphis.
lebat caſulas; mirum! mora nulla, volucres
totum conclave vagis excurrere pennis.
i ipſe oſtiolis, quà ſe dabat exitus, omnem
bam avium ruere & blando trepidare tumultu.
c ſalit in gremium, ſeque altâ veſte recondit:
c ruit è latebrâ nutu bene docta Magiſtri,
ernoque petit digitûm faſtigia ſaltu,
ltipliceſque ciet, totidem miracula, ludos.
rùm hæc anguſtâ concluſus temporis horâ
etereo, cœptoſque juvat nunc pergere curſus.
** Sunt tibi proviſæ volucres? Jam conde cavatis
tilibus viſcum quod puris innatet undis.
in raris quæras horrentem ſentibus agrum
ii ſit ab arboribus mundus, ne fortè volucres

Author carminis unus eſt ex Orientalibus qui in Collegio Ludovici Mag- eneficio Regis educantur, Conſtantinopoli oriundus quæ Byſantium olim a eſt.

*** Cette maniere de prendre les Oiſeaux s'appelle la breſte.*

Arbore, quàm inſidis malint conſiſtere ramis.
Id metuens, procul arboribus tibi ſelige campum.
Tonde aliquot dumos, ut tondent forfice Buxum.
Multiforem dein plecte caſam, lucique patentem,
Atque illam filice, aut lentâ contexe Geniſtâ,
Unde videre queas, nec tu videare, cadentem
In teretes ramos celſâ de nube volucrem.
His ita diſpoſitis fatales ulmea virgas
Sylva dabit, lentum niſi mavis ſumere vimen.
Si quæ luxuriant, tractim circùm excute frondes,
Et cura extremam ramorum findere partem,
Ut facilè impoſiti poſſint conſiſtere dumis.
Ante diem naſcens roſeis quàm vecta Quadrigis
Aurora in terras, diſcuſſâ nocte, reducat;
Tempore quo ludunt humanas improba mentes
Somnia, cùm reliquis dominatur Lucifer Aſtris,
Tunc membra è ſomno, tunc mollibus eripe ſtratis.
Unâ ſume manu caveas, ferat altera ramos.
Ante tamen prudens Cœlum circumſpice, nimbis
Si tibi nec Boreas, tibi nec portenditur Auſter,
Nec triſtes nebulæ terram infecêre madentem.
Nî cœlum ridet, thalamos, me Authore, reviſes:
Sed purum ſi mane, dies ſine nube ſerena eſt,
Vade, age, carpe viam, tua ſi tibi commoda curæ.
Cum ſemel in campum, & caſulam de more paratam
Veneris, arboreos viſci medicamine ramos
Infice; ſed puris digitos immergere lymphis

22

Sis memor, aut propriâ primus retinebere fraude.
Ergo age, tempus adest dumis imponere ramos.
Non multùm hærentes fissuris insere spinas.

Jamque refulgentis rediviva crepuscula lucis
Admonuêre vagas volucres ut pabula quærant:
Rumpe moram, caveas properes supponere dumis
Scilicet armatis visco; super injice frondes,
Quêis caveâ inclusæ lateant impunè volucres.
Inde casam repetas, nec eâ statione recede,
Donec aves Cœlo in Dumos speculêre ruentes.
Nec longum tempus: turmatim densa volucrum
Agmina prosilient, quàm multas Auster Arenas
Turbine contorquet. Præsentis nescia fati
Turba pipit: sed enim ex caveis vox perfida prodit,
Et latè auditur malè dulcis in æthere cantus.
At volucrum objiciunt se corpora nulla canentûm.
Turba inhians suspensa stetit, mollesque supinâ
Combibit ore sonos, ardetque videre quod audit.
Heu fuge fallaces, volucris malè provida, cantus!
Heu fuge Syrenes! sic sic periisset Ulisses,
Nî cerâ bibulas sociorum, providus, aures
Clauderet, & Malo patiens post terga ligari,
Illecebram, & mollis repulisset gaudia cantûs.

Quid loquor? in ramos en depluit undique nubes;
Nec, Boreâ stridente, cadunt tot ab ilice glandes.
Ergo quærit avis viscato insidere ramo;
Dumque amat illabens dumos crispare volatu,

Extemplò ſentit ſummas hæreſcere plumas.
Ter celerem molita fugam, ter inutile pondus,
Pendet in abruptum, viſcoque tenaciùs hæret.
Tandèm furta videt, fraudes ſentire malignas
Incipit, heu ſeros quid prodeſt ſcire dolores!
Jam crudelis adeſt Auceps qui vincla reſolvat,
Expediatque dolis, ſed libertatis amicum
Munus (ne gratare tibi) mors atrâ ſequetur.
Nempè Auceps facto pius, & crudelis eodem,
Sæpè ſolet volucres in duram illidere terram,
Ut pereant equidem, at lentâ ne morte necentur.
Siccine Gens hominum vobis benefacta rependit
Immeritum, volucres, genus? Hæc ſunt præmia vocis?
Nunc canite in ſylvis, virides nunc ite per agros;
Cantibus hoc veſtris munus; mors dira paratur!
Interea celeres repulêre repagula cælo
Solis Equi, & primum ſparſêre per arva ruborem.
Perge, ſuper dumos Ramalia tincta refige.
At propè cùm medium Phæbi rota venerit Orbem,
Tunc eſt, judice me, tempus diſcedere campis.
Deſine capturis nequicquam inhiare negatis:
Tunc umbras quærunt volucres, ſylvasque reviſunt;
Tu quoque cede loco, propereſque reviſere tecta.
O dulces reditus! quantùm quærentibus amplam
Oſtentare juvat, menſiſque apponere prædam!
Ipſe experta loquor. Memini primoribus annis,
Cùm puerum tellus me Byſantina foveret,

Quàm fuerit gratum volucres deludere viſco,
Exuviiſque graves humero ſuſpendere peras.
Nunc Byſantinis, ſuperi, me ſiſtite Campis.
Scilicet illa parit Regio genus omne volantûm;
Nec tantùm attonitos demulcet Muſica ſenſus,
Quantùm illic dulces avium placuêre querelæ.
Quamquam nec volucres ſolùm parit, omnia Tellus
Prodiga per ſeſe gremio de divite fundit.
Eſt terræ mite ingenium, puriſſimus aër.
Hîc dulces videas, Cerealia munera, meſſes
Undique maturis paulatim creſcere culmis.
Nec ſatis: Urbs miranda ſitu, tutiſſima Nautis,
Dives opum, belloque potens, dominatur in æquor,
Proſpectumque petens latè Pelago, inde repoſtas
Externo ſub ſole videt, Maris arbitra, gentes.
Felix illa quidem, immitis niſi lege Tyranni,
Obrutaque imperio gemeret; felicior, Armis
Si poſſet, Lodoice, tuis ſceptroque teneri,
Quæ demiſſa tuum nuper captabat amorem.
Hæc equidem decus antiquum, Nomenque reſumet,
Si fors Creſcentis deponat Cornua Lunæ,
Subſtituatque ſuis felicia Lilia ſignis.
Quando erit ut nobis quæſitos tangere portus,
Et tandem optatâ detur tellure potiri!
Quo me, Muſa, rapis? Quo me meus abripit ardor?
Parcite: correptus patriæ invitantis amore,
Jam mihi Natales fingebam viſere terras.

Nunc opus est alios expendere glutinis usus.
Ne quæras agro spatium; tibi frondea certam
Sedem Sylva dabit; grandævam selige quercum:
Arboribus ne sit propior, dominetur apertum
In spatium, & circum resonabilis assonet Echo.
Postquam reppereris, frondes modò decute ramis:
Ilicis ad medium speculam dein plectere truncum
Cura sit, optatam de quâ speculabere prædam.
Sylvam mane petes, ramalia lenta veneno
Glutinis inficies; latebras tùm quære paratas:
Sed torquere memor, tumidasque intendere buccas,
Bubonis fœdi malè gratam imitabere vocem.
Nec mora, Buboni Bellum rivale parantûm
Alituum glomerata phalanx, facto agmine, pennâ,
Et pedibus, strictisque volant in prælia rostris.
Dum loquor, attonitis belli fragor intonat auris,
Rostelloque cavos litui referente sonores,
Mutua sese in bella vocant. Mavortius omnes
Ardor agit, dirosque animis exsuscitat æstus.
Huc veniunt Merulæ(*a*) audaces, venit improba Pica(*b*)
Corvus (*c*) & angusto fortis sub corpore Passer (*d*)
Frigilla(*e*), & Turdus(*f*) præceps, Sturnique(*g*) minaces,
Necnon Rusticulæ(*h*), & tenerâ cum prole Coturnix,(*i*)
Corydalusque(*k*) volat, Picusque(*l*), & garrula Perdix,(*m*)
Graculus, (*n*) & Cornix (*o*), cum Floro (*p*) mollis
Achantis (*q*)

(*a*) Merles. (*b*) Pie. (*c*) Corbeau. (*d* Moineau. (*e*) Pinson. (*f*) Grive. (*g*) Etourneaux. (*h*) Bécasses. (*i* Caille. (*k*) Alouette. (*l*) Picvert. (*m* Perdrix. (*n*) Geay. (*o*) Corneille. (*p*) Bruiant. (*q*) Chardonneret.

Cantu blanda quidem, roſtro ſed diraminaci.
Atque aliæ quæcunque volant per inane volucres
Addunt ſe ſocias, quas ſit comprendere verſu
Et numerare labor. Magnis clamoribus illæ
Bella parant, illæ roſtro minitante laceſſunt.
Quippe indignantur Noctis quòd nata tenebris
Audeat in claram volucris ſe oſtendere lucem.

At nuſquam Bubo eſt, & voci bella paratis,
Inſanæ volucres, ſonus eſt quod creditis hoſtem.
Perdita turba fuge, averſiſque relabere pennis:
Credula, quò properas? nocituros ſiſte furores,
Ibit enim in dirum rabies converſa dolorem.
Nil ago: Mavortis flagrant ſub pectore flammæ.
In ramis jam turba ſedet, jam perlita viſco
Inſidias heu! ſerò videt, damnatque furorem.
Tutamen intereà prædam ſpeculatus ab imis
Attentus latebris, volucres citò funere plecte;
Nec demùm abſtineas mentito fallere cantu,
Donec Pera gravis prædæ ſub mole fatiſcat.

Pergite, Pierides, aliam nunc pandite fraudem
Quæ Laqueis, Pedicisque * docet prenſare volucres.
Hâc avibus metuenda magis, nec ſævior ulla eſt.

Vere novò cùm terra gelu reſoluta, virentes
Incipiet laxare ſinus, cùm pullulat arbos,
Et ſurgunt violæ campis, cùm gramina florent,
Tunc verearis aves. Per conſcia numina teſtor,

* *Les piéges & les filets.*

Teſtor per ſi qua eſt pietas Mortalibus uſquam ,
Parce pias ſcelerare manus : tunc arbore lætos
Conſociant volucres cantus , Zephiroſque ſalutant ,
Aſſiduoque canunt reducem modulamine Floram.
Tunc quoque (nomen enim titillat dulce parentis)
Suſpendunt nidos ; mater tunc incubat ovis ,
Et fovet implumes , arcetque à frigore pullos.
Non hunc Aucupio fas eſt turbare laborem.
Væ manibus duris quæ tantum admittere poſſint
Crimen , ut in nidis ſolam ſine matre relinquant
Progeniem ! multos crudeli hoc funere perdunt ,
Dat multis mors una necem , nam lucis in ipſo
Limine dira fames inopino funere mergit.
Ergo animam miſeri expirant , ſuperoſque ſupremis
Vocibus implorant , ne ſe patiantur inultos.
His , niſi inhumanos foveas ſub pectore ſenſus ,
Ah ! precor , abſtineas. Sed cùm penetrabile frigus
Regnat agris , gelidâ Boreas cùm ſævit ab Arcto ,
Cùm nullos audet miſer exercere labores
Agricola , & Zephiros invita per otia tectis
Stramineis expectat iners , Phœbique morantes
Increpitat reditus , ut tandem Auſtralibus arvis
Expulſos revehat , verſo Temone , calores ,
Incipies ſtultas laqueis prenſare volucres.
Primùm ſi Merulas , ſi mens eſt fallere Sturnos ,
Retia * ſic pones. Anguſtam ſelige callem

* *Les Filets.*

Quam ſepes utrinque premat , quæ quattuor ulnas
Adſummùm pateat , quantùm ſe lata plagarum
Pandere lina valent ; bifidas dein figere virgas
Cura ſit , & ſummis innectere retia Furcis
Partibus à quatuor : pars pendeat altera Retis
Quæ volucri objiciat laxato gutture ſaccum.
Reticuli nempè in morem quo piſcis inhæret
Fecêre hunc laqueum. Texti ſunt undique nexus
Diſpoſiti in quadrum ; retis pars ima patentem
Deſinit in ſaccum facili quem ſtringere motu
Aut laxare queas : trudit ſe Turdus in illum
Imprudens , ſubitò miſerum malè ſacculus arctat ,
Quòque magis premit ille fugam , magis ille tenetur.
Ut cùm piſciculus captus pellacibus eſcis
Se ſentit reti implicitum ; dum ſolvere nexus
Obluctatur agens , ſeſe magis implicat illis.
Jam verò laqueum cùm ſic ſuſpenderis altè ,
Carpe manu baculum , & Merulas exire latebris
Compellas ſtrepitu ; ſæpè admirabêre nubem
Irruere , & totis in retia tendere pennis.
  Nec ſoli intereà venient ad retia Turdi ,
Nec ſolæ venient Merulæ ; tibi præda paratur
Nobilior : namque ipſæ etiam venêre Palumbes.
Necnon Ruſticulæ adproperant ; quid denique? Turtur,
Turtur & ipſa venit fido ſejuncta Marito.
Infelix ! quippe una duos Mors perdet amantes.
Quales tunc gemitus ! reſonant ſingultibus auræ.

Sic, misera Eurydice, rigidæ te rupis in antro
Flebilibus modulis, noctuque diuque canebat
Orpheus, & raptos cum Conjuge flebat amores.
Intereà vitæ impatiens sedet arbore Turtur,
Si-ve arescit agris effœto languida trunco
Populus, hac gemitu luctus solatur amaros;
Si queis dulce mori capiant solamen amores.
Nunc odia & rixas, nunc exercete furorem
Immites sponsæ, sponsorum inquirite in annos,
Cùm sic orba suo Turtur succumbat amori.
Ars nova* tractanda est. Tristem quot mittis ad Orcum
Ars nimiùm crudelis aves! cùm plurima vestit
Undique nix terram, & volucres præ lucis amore
Occursus hominum quærunt, hâc utere fraude.
Per latum nivibus mundabitur area quadrum.
Continuò spatium levibus circumdare culmis
Cura sit, & teretes telluri infigere palos,
Nempè inter culmos, qui celent undique fraudem.
Tecti deinde doli, Pedicas dixêre, parantur.
In promptu labor est: setæ adnectuntur equinæ
Flexilibus Palis; laqueorum & more ligantur,
Ut filo incautam possint constringere prædam.
Nec mora: quò possis volucres inducere, sparge
Exile aut milium, vel pinguis semina lini.
Protinùs innumeras cernes properare Phalanges:
Sentibus erumpent passim; quamplurima mane

* *Les Piéges.*

Formica è latebris ſeſe per gramina fundit,
Ut ſolitos repetat, Phœbo redeunte, labores.
Quàm multi inſurgunt viridi de ceſpite Flores,
Cùm ſpirant Zephirorum animæ : quàm denique multi
Debacchante Noto, properant ad littora fluctus.
Tanta fames agitat, tantùm jejunia vexant!
Heu! miſeranda fames, miſero ſatiabere fato.
Omnes quippe legunt avido mala ſemina roſtro.
Imprudens volucris ludens huc tranſit & illuc,
Itque reditque viam, heu! laqueo comprenditur arcto.
Illa adnixa trahit, ſed dum trahit, arctiùs hæret.
Quid faciat? ſociæ, miſeræ ſuccurrite, clamat.
Hæ properare volunt, ſed ſtrictis crura teneri
Tandem quæque videt laqueis. Si credere fas eſt,
Sic dum nocte, dieque vocant Phaëtonta ſorores
Heliades, terræ perhibent hæſiſſe ligatas.
Quæ prima eſt conſtricta pedes, conterrita & amens
Contiguam incœpit gemitu implorare ſororem.
Audiit illa quidem, ſed enim conata venire
Ipſa pedes doluit ſubita radice teneri;
Auxiliumque petit quæ nunc afferre parabat.
Mox aliæ mirantur idem, mirantur, & hærent,
Immotæque pedes ad cœlum brachia tollunt.
Sic volucres, (ſi parva licet componere magnis)
Immotæ pedibus, tendunt ad ſydera pennas.
Et tibi, quis credat? fraudes, Philomela, parantur.
Quamvis ruris honos, quamvis gratiſſima veris

Nuntia, præcurras Zephiris, cantuque reducas:
Attamen insidias molitur perfidus Auceps.
Muneribus Floræ dum prata nitentia rident,
Dumque omnis Natura viret, cantuque resultant
Lusciniæ nemora, in sylvam se proripit Auceps.
Eheu! quo properas! unum tibi fistula telum est;
Sed mage non noceat Philomelæ missile plumbum.
Sollicitas aures adhibet, num fortè canantem
Lusciniam audierit, miseram malè subdolus audit.
Arboris illa sedet nascentibus abdita ramis,
Præcinit & proprio, discriminis inscia, fato.
Ad truncum accedens, calamos accommodat ori,
Ad digitosque Auceps vibrata foramina flectit.
Aucupis hinc moduli resonant, hinc Mimula cantus
Luscinia ingeminat, venit in certamen honoris
Dulcis amor laudum, & vincendi pulchra cupido
Utrumque exagitat. Sinuoso hic pollice Buxum
Increpat, auditos hæc ruminat æmula cantus.
Fit pugna: hic modulos, hæc promit gutture carmen;
Hic premit, illa refert: alter gemit, altera quæstus
Edit: hic in varios sinuat modulamina flexus,
Hæc etiam in longos tendit modulamina gyros:
Hic levibus modulis raptim transcurrere gestit,
Illa sonos etiam cæsim crispare laborat.
Non ità quæ sylvis lasciva jocatur imago
Verba repercussæ reddit per inania vocis.
Omnigenos Philomela refert de gutture cantus,

Rivalemque modis tentat superare Lyristen,
Languida sed tandem siccis vox faucibus hæret.
Aucupis ante pedes modulis modo pluribus impar
Heu! cadit exanimis, cecinitque cadendo volucris,
Lugete, ô Dryades, tristes lugete Napeæ!
Sylvarum, Philomela, decus, pulcherrima gentis
Gloria pennatæ, crudeli morte perempta est.
  Hæc tibi fata time, nimio qui laudis amore
Captus, inaccessos moliris viribus ausus.
Ah! cave, ne similes tibi vana superbia casus
Invehat, & laudis perdat te insana cupido.
Felices vero, ruris si commoda norint,
Secretos nemorum quibus est habitare recessus,
Non illos tangit præclari nominis umbra,
Ambitiove potens, vel amor lymphatus habendi.
Anxia non placidam curarum exanima mentem
Sollicitant, animosque subit damnosa voluptas.
Nunc celeres jaculo Cervos, cursuque fatigant:
Nunc juga per nemorum vel apros in retia trudunt,
Auritumve premunt leporem, laqueove tenaci
Incautas captant volucres. Sic aurea quondam
Currebat placidè priscis Mortalibus ætas;
Sic vos Agricolæ, turrita Palatia Regum
Exosi, parvis agitatis in ædibus ævum,
Nullaque securas rumpunt insomnia noctes.

FINIS.